

sic priores de philosophia disputabant, quod Empedoclis docet exemplo, qui os ratione constare dicit, non materia. Materia enim per ipsum alijs quoque rebus est communis, quam esse quatuor elementa putabat: idemque os in tali & tanta horum temperatura fieri dicebat: ut patet ex eius carminibus. Quod si ossibus ut ossa sint, a ratione suppetit, hoc est a forma & substantia, & ut ita loquar, quiditate, profecto & carni, & neruo, & entium cuique, ut lapidi & ligno, a ratione & forma esse supeditabitur. Aut enim cunctis in rebus forma & ratio causa est ut quodque id sit quod est, aut in nulla, cum entium discrimen in ratione & forma consistat quamobrem hoc caro, illud os, & aliud, aliud est. Materia enim per ipsum, ut diximus, cunctis entibus est eadem, quippe cui quatuor elementa materiale principium esse placet. Hæc igitur ad hunc modum sese habere, & formam cuique causam esse ut certa quædam res sit, Empedoclem assensurum fuisse, dubium non est, si quis ei rationes proposuisset, docuissetque singula quæque ad hunc modum sese habere. ipse tamē dum per se loqueretur, nihil perspicue definiuit, neque ex scientia quadam differuit, quippe qui ne similiter quidem de cunctis similibus statuit.

Empedoclis opinio

Sed de his quidem & prius est declaratum. Nunc autem redeamus, ea rursus allaturi, quæ de eisdem quispiam dubitabit. Ex ipsis enim facultatem ad posteriores dubitationes forsitan consequemur.

87 Sed de his quidem prius declaratum est. De his dicere videtur, quoniam supra dum Anaxagoræ opinionem differeret, dixerat ipsum cuiuspiam alij talia dicenti assensurum fuisse, nihil tamen eundem de his aperte tradidisse, non magis quam Empedoclem, de quo nunc verba facit. Præterea quæstiones quasdam disserturum se pollicetur ad rationem principiorum pertinentes, quibus exponendis & recte disputandis viam nobis aperiri ait ad posteriorum dubitorum solutiones. Nam quæstiones circa principia solutionesque, principia sunt solutionis eorum quæ postea in dubium veniunt. Significat autem quæstiones quæ in secundo libro disputantur. Ex quibus verbis huic libro secundus liber proximus esse videri potest. veruntamen quæ in hoc loco proponuntur, in primo etiã minore libro disputantur. Præfatus enim illud, Nunc autem redeamus, ea rursus allaturi, quæ de eisdem quispiam dubitabit de principijs & causis in proximo libro qui minor primus inscribitur, quærit atque disputat.

FINIS I LIBRI.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI IN LIBRUM primum minorem primæ philosophiæ, qui Latinis est secundus, Interprete Io. Genesio.



Contemplatio veritatis partim difficilis, partim facilis est. Indicium autem est, neque digne quempiam ipsam consequi posse, neque uniuersos etiã aberrare, sed quemque de natura aliquid dicere, & singulos quidem nihil aut parum ad ipsam conferre, ex omnibus autem cogitis magnitudinem quandam emergere.



In primus liber primæ philosophiæ est ille quidem Aristotelis opus, quantum ex dicendi caractere ipsaque disputandi ratione coniectura consequi possumus: non tamen solidus, sed mutilatus, & libri pars quædam esse videtur, si quis libri & initium & exiguitatem spectet. Quatenus igitur in hoc quoque libro de principijs habetur sermo, hic a primo maiore non videtur discrepare: sed potius ipsum de principijs & causis agentem sequi, quippe in cuius calce sic scriptum est: Nunc autem redeamus, ea rursus allaturi, quæ de eisdem quispiam dubitabit. Ex ipsis enim facultatem ad posteriores dubitationes forsitan consequemur. quibus verbis illo libro conclusio, in hoc quærere seruato ordine videtur, utrum principia & causæ in infinitum progrediantur. Docetque in ipsis esse principium aliquod, nec esse antecessiones in infinitum. Rursus si ad eius finem intueamur, hic non huius ordinis esse videbitur, sed præfatio quædam naturalis disciplinæ. Quasi enim deinceps inuestigaturus quæsiturusque esset, natura quidnam sit, librum his verbis clausit, (Quamobrem primum quid sit natura, considerare oportet. hoc enim pacto & quibus de rebus est scientia naturalis, patebit.) At hoc considerare, importet. hoc enim pacto & quibus de rebus est scientia naturalis, patebit. Accedit, quod primum est Philosophi naturalis, quoniam in auditu physico de natura disputauit. Accedit, quod primum secundum non differit de natura, ut cum hoc congruere, & hunc sequi videatur, sed ea potius explicat ac exponit, quæ ut in hac doctrina prius quærantur siue dubitentur necesse est: quo fit, ut secundus liber potius primum maiorem sequi videatur: quippe cuius principium cum illius finem coherat. Illic enim dicturum se proficitur de quæstionibus quæ afferri possent ad principia ipsorumque inuentionem pertinentes, in secundo vero id ipsum promissum præstare videtur. Verum enim uero quæ in hoc libro traduntur, ne ea quidem cuncta a proposita doctrina videntur ab-

d iij

Enarratio prima.

Libri huius ac superioris ratio ac ordo.

Intellectus
noster debi-
lis.

Contēpla-
trix philo-
sophia, par-
tim diffici-
lis, partim
facilis.

Laborādū
in hac phi-
losophia.

horrere, sed sunt velut præfatio quædã quæ communiter omni contemplatrici philosophiæ præferri potest. Quare in ipso statim principio in vniuersum de omni contemplatrice philosophia commemorat, docens partim esse difficilem, argumento quòd nemo de ipsa pro dignitate loquutus fuerit: partim facilem, quòd nemo ab ipsa prorsus aberrauerit. Cuius difficultatis causam in nobis esse demonstrat, quorum intellectus debilis est, vel ad consequendã eorum cognitionem quæ natura perspicua sunt. quo in loco ne eos quidem sua laude fraudandos esse profiteretur, qui philosophiam vtrunque perstrinxerunt, quasi illorum opera non parum adiumenti attulerint studio sapientiæ. Explicat item quo discrimine contemplatrix doctrina distet ab actiua, & contemplationis præcipuum finem cognitionem esse confirmans ad contemplandam cognoscendamque veritatem magno vsui cognitionem principiorum & causarum esse docet. Nam primæ causæ primæque principia maxime omnium sunt. quæ autem maxime sunt, ea sunt maxime vera. & hæc sunt cæteris causæ vt sint: & veritatis quæ in ipsis habetur, vniuersaliter, & communiter differit: eaque principia & causas rerum esse confirmat. Ostendit autem hoc in libro vniuersaliter atque communiter principia & causas entium haberi, tollens causarum progressum in infinitum. Contemplatio veritatis partim difficilis, partim facilis est. Indicium autem est (sic scribendum est, non ad hunc modum: Quoniam cōtemplatio veritatis) hoc enim magis videtur esse principium, quam si illud quoniam præponas. Nam illud non principium esse, sed aliquid ante dictum sequi videtur. Appellat autem veritatis contemplationem omnem contēplatricem philosophiã, non quòd sola in veritate versetur. nam & ciuili & actiua philosophia in sua quæque veritate versatur. Quin & artes sibi subiectas veritates considerant: cū sit ars habitus efficiens cum vera ratione. sed quia huius solius finis est cognitio veritatis, & quidem eius que proprie veritas esse intelligitur, quippe cum sempiternum verum contempletur. Sed cōtemplatricem philosophiam, quam nobis maxime propriam & naturalem esse statuit, partim difficilem videri ait, partim facilem. Difficilem, quoniam cum multi in ea studium operamque posuerint, nemo tamen de ipsa pro rei dignitate disseruit. Eius enim contemplationem reconditam esse, ac inuentu difficilem, magno argumento est, quod qui in ipsa versantur, non possunt de ipsa pro rei magnitudine ac præstantia disputare. Contra vero facilem esse, fidem facit, quòd qui in eius studio versati sunt, ij nõ prorsus aberrauerint, sed de ipsa quisque aliquid recte dixerit. Nã si philosophantes singulos spectes, parum quemque recte præcepisse reperias: sin omnium sententias in vnum congeras, contemplatio philosophiæ memorabilis, & satis magna videri possit. De principijs enim, vt in libro superiore testatus est, singuli philosophantium partem aliquam dixerunt, neque hanc quidem satis dilucide: tamen nescio quo pacto, inquit, omnia ab omnibus tradita sunt, alio de alio mentionem faciente, nec omnibus aberrantibus, id est nemine omnium ab ipsis prorsus aberrante. Quorum verborum hunc esse sensum, subiectis his verbis declarauit, (sed quenque de natura aliquid dicere) hoc enim cōgruit cum eo, neminem aberrasse. Quod autem (de natura) adiectum est, ipsum quoque confirmat, librum hunc omni cōtemplatrici philosophiæ præpositum esse. Quod vero ait, multos quidem huic studio vacasse, ac neminem prorsus aberrasse, ostendere mihi videtur hanc doctrinam nobis esse naturalem. Idem cum negat quæquam ex dignitate de ipsa disseruisse, magnitudinem ac difficultatem innuere: ne quis putet hoc studium parum operæ desiderare. Elaborādum est enim vt ea præditi simus, quia nobis est naturalis. sed quoniam difficilis obtentu, non est negligenter capessenda. Hortatur ergo nos ne ipsam velut omnino facilem negligamus, aut vicissim tanquam prorsus difficilem, desperemus.

Quare si ita sese habere videtur, vt dicere prouerbio consueuimus, quisnam ostium nõ attinget? hoc quidem pacto facilis erit. At totū, ac partem habere non posse: id difficultatem ipsius ostendit.

Quare si ita sese habere videtur, vt dicere prouerbio cōsueuimus, quisnam ostium non attinget? Hanc doctrinam facilem esse, argumento est, quòd omnes qui huic incubuere, aliquid recte tradiderunt, quod ipse ostendit vsus illo prouerbio, quis ostium non attinget? quod in facilibus rebus, & nihil habentibus difficultatis vsurpatur, sumptum a sagittarijs in signum aliquod iaculātibus, qui si signū tenuē propositum fuerit, non facile collineāt. sin latum, cum nõ sit factu difficile, omnes propositum attingunt. si ergo quod est facile, omnes attingūt, nimirum hoc quod ab omnibus attingitur, facile fuerit. Illud vero, Ac totum habere, ac partem non posse, id difficultatem ipsius ostendit) est indicium alterum ex commemoratis, quo eius difficultas arguitur, quod est singulos parum aut nihil assecutos fuisse, quoniam nemo sigillatim neque de tota philosophia disseruit, neque de parte aliqua eius abunde. Nam qui parum eius, aut nihil attigerunt, ij non solum in vniuersa, sed etiã in partibus defecerunt, quo rei difficultas declaratur. Quamquam dictio inconcinne sese habere videtur, ad hunc modum. At totum habere, ac partem non posse, id difficultatem illius ostendit. Id enim dicere videtur, quod pugnat cum eo quod supra dixit. Dixerat enim particulatim quidem singulos veritatem rerum fuisse assecutos, in vniuersum non item. nunc autem videtur dicere, qui philosophiæ incumbunt, eos totū obtinere, partem vero consequi non posse. quod quidam effugientes, dictionem cōmutatam esse aiunt, quæ recte fit in hunc modum habitura, totum autē non posse, &

partem habere, difficultatem eius ostendit. hoc enim supra dictis congruere. Sed fortasse satius est dictionem ut supra diximus accipere, difficultatem videlicet rei ostendi, quoniam neque totum, neque pars penitus obtineri possit: ut sit sensus, neque totum aliquid habere, sed ne partem quidem posse. Nihil enim aut parum ipsam attingere est, neque totum habere, neque ipsius aliquam totam partem. Nam cuius pars est difficilis intellectu, id ipsum quoque difficile est. Et esset hyperbaton in dictione tale, Non potest totum aliquid habere, atque partem: quasi dicat, neutrum habere posse, ostendit rei difficultatem. Sed posset dictio ad hunc quoque modum exponi. illud quoque rei difficultatem arguit, quod omnes ad intellectum totius & doctrinam veniunt, sed nullam ipsius partem exacte valent explicare. Potest & sic locus enarrari, ut in dictione illud, simul omnes, desideretur: ut habeat in hunc modum, omnes simul totum quodam habere, singulos vero partem habere non posse, indicat rei difficultatem. Et profecto hoc magis videtur consentaneum ei quod supra dixerat. Et singulos quidem nihil aut parum ad ipsam conferre, ex omnibus autem congestis magnitudinem quamdam emergere. Potest etiam illud aliter exponi, ad hunc modum, non posse totum aliquid & partem habere, sed partem solum ipsius cognoscere. Illud vero, partim difficile, partim facile, non sic accipi debet, quasi ambo ipsi secundum idem conveniant, sed quasi ambo existimationes atque opiniones sint de ipsa. quadam enim ratione facilis esse existimari potest, alia vero difficilis: quatenus omnes ipsam attingunt, facilis: quatenus vero nemo recte disseruit, ne de vna quidem parte tota, difficilis.

Fortasse autem cum difficultas duobus sit modis, non in rebus, sed in nobis ipsis difficultatis est causa. Nam ut vesperilionum oculi sese habent ad lucem diei, sic & nostrae animae mens ad ea sese habet, quae manifestissima omnium sunt natura.

3 Fortassis autem cum difficultas duobus sit modis. Postquam philosophiam contemplatricem partim facilem videri dixit, partim difficilem, difficilem partitionem exponit, & quo sit philosophia difficilis ostendit, & sic rursus ipsam partim facilem, partim difficilem esse demonstrat. Sunt autem duo difficultatis modi. Vnus in ipsa rei natura consideratus, cum res est huiusmodi, ut sua ipsius natura cognita sit difficilis. alter in debilitate contemplantis. fieri enim potest, ut aliquid sua natura facile ad contemplandum, propter sui simplicitatem, idem nobis difficile consideratu propter nostram tarditatem fiat. Ad quem difficultatis modum artem contemplatricem redigit, & philosophiam, quae in veritatis inquisitione versatur. quae verba huc pertinere videntur, ut nos ad studium contemplatricis philosophiae cohortetur. Si enim quae sua sponte atque natura nota & prima sunt, ea nobis sunt ad contemplandum difficilia ob intellectus nostri tarditatem, satis intelligitur, magno nobis labore & studio opus esse, ut intellectui nostro innotescant ipsa quae sua sponte nota sunt. Sed quomodo quaedam difficilia sint propter philosophantium imbecillitatem, non sua ipsorum natura, apto vesperilionum exemplo declarat, quibus lumen diurnum impedimento est ad videndum ob oculorum imbecillitatem, cum ipsum natura sua maxime aspectabile, & causa videndi sit. Ut igitur illorum oculi ad lumen sese habent, sic intellectus noster ad res quae natura sunt manifestissimae. haec autem sunt simplicissima, cuiusmodi principia sunt. Sic autem intellectus noster sese habet ad res manifestissimas, propterea quod non est absolutus & separatus, sed cum sensu & passivis animae potentibus, quae omnia proprio intellectus muneri obstant. Actus enim noster qui continenter in sensibilibus versatur, impedimento est actionibus a sensu separatis. At si propterea veritatis cognitio difficilis est, recte supra diximus, veritatis cognitionem partim esse difficilem, partim secus: difficilem videlicet nobis, natura vero sua facilem. Et fortasse illa idcirco dicta sunt, ut affirmaret haec ambo adesse philosophiae propterea solum, quod sua natura facilis cognita sit, eadem difficilis propter nostram tarditatem.

Difficultatis modi duo.

Vesperilionum visus imbecillitas.

Non solum autem hisce quorum quispiam opiniones acceptabit, atque utetur, sed etiam hisce qui veritatem non penitus attigerunt, gratias habere oportet. Et hi namque & aliquid contulerunt. habitum enim nostrum excitarunt, ac acuerunt. Nam si Timotheus non fuisset, non tantam haberemus artem cantandi. Et si Phrynis non antecessisset, non talis Timotheus euassisset. Eodem modo res sese habet & de hisce, qui de veritate dixerunt. A quibusdam enim opiniones quasdam suscepimus, at quidam ut illi talia sentirent, causa sane fuere.

4 Non solum autem hisce quorum quispiam opiniones acceptabit atque utetur, gratias habere oportet. Postquam docuit philosophiam contemplatricem partim difficilem esse, partim facilem, & qui studium in ipsa posuerant, eorum neminem ne partem quidem ipsius satis copiose tractasse, hoc in loco non protinus veteres nobis fastidiendos esse profitetur, sed potius eisdem gratiam habendam, ut pro te qui non parum posteris attulerint adiumenti. quo simul confirmat veritatis inquisitionem dignam esse, in quam studium omne conferatur, cum non modo ijs habere gratiam censeat, qui recte aliquid tradiderunt, quod nobis visui esse possit, & quorum sententias consentire valeamus, sed etiam antiquioribus, qui haec leuiter videntur perstrinxisse. Cuius eam subiicit causam, quod & hi non nihil nobis contulerunt ad veritatem inuestigandam. Habitum enim nostrum, inquit, id est facultatem animae,

Veteribus habendae gratiae.

qua facultate res huiusmodi indagare possumus, hoc est potentiam nostram intellectualem præparauerunt, quæstionibus ac inquisitionibus ipsam acuentes ac excitantes. quasi enim viam aperiētes, nos in horum inquisitionē inducere, deq; illis rebus disputare de quibus egerint ipsi, munus esse nostrum docuerūt. Quo in loco nos admonere videtur, vt omnes opiniones a veteribus traditas excutiamus. Cópia enim veterum sententiarum ad eruendam veritatem paratior efficitur. Nam qui fieri potest, vt his, quemadmodum ipse censet, gratiam habeamus, nisi prius ipsorum opinionibus commemoratis? Quo ex loco argumentum sumi potest, hunc librum recte post superiorem proximum collocari. Nam cum in superiore libro veterum sententijs de primis principijs commemorasset, & eas nonnullis rationibus oppugnasset, hoc in libro negat, si contra quorūpiam opiniones fuerit disputatum, protinus illos esse reiiciendos, quasi nihil ad propositam quæstionem contulerint; quin & his habere gratias par esse, qui aliqua non satis prudenter differuisse videntur. Nā & ab his nos esse adiutos, vt qui habitum nostrum præpararint. Porro qui rei cuiuspiam initium modo vtiq; fecere, neq; ultra progressi sunt, adiuuētō posteris esse, exēplo Timothei declarat, qui optimus musicus extitisse videtur. & Phrynidis, qui vt superior illo fuit, sic artis musicæ indoctior, quorum ex Timotheo artem musicam accepimus, Phrynidi autem hoc debemus, qd per ipsum Timotheus talis euaserit. qui nisi præcessisset, artemq; fuisset exorsus, nūquam Timotheus eo perfectionis artem musicam deduxisset. Cui similis est ratio in veritatis inquisitione. A quibusdam enim sententijs accepimus dignas quas vt egregias ac præstantes vsurpemus, cum alij fuerint in causa vt hi recte differerent, & talem doctrinam inuestigarent.

Timotheus
musicus.
Phrynidis
musicus.

Recte autem sese habet & illud, scientiam inquam philosophiæ, veritatis appellare cōtemplationem. nam finis quidem cōtemplatiuæ, veritas est: actiuæ autem, opus. Et enim si quomodo res sese habet, actores ipsi considerāt, non tamen eius causam per se, nec vt perpetuo talis est, sed vt ad aliquid, atq; vt nunc contemplantur.

Contēplatiuæ finis.

Actiuæ.
Veritas
quæ maxime
dicat.

Recte autem sese habet & illud, scientiam inquam philosophiæ, veritatis appellare cōtemplationem. Quoniam philosophia contemplatrice appellanda nomen veritatis viurpat, idcirco nunc merito eam sic appellari confirmat. Nam contemplatricem proprie philosophiam appellat, vt per hæc proxima verba declarat. Nam finis quidem contemplatiuæ, veritas est. Eius præsertim, quæ prima principia primasq; causas cōtemplatur, quæ a sensu omnino sunt abiuncta, & sua ipsorum natura existunt. quam item sapientiam interdum vocat. Confirmat autem prædicta ad hunc modum. Contemplatricis philosophiæ finis est veritas, doctrina vero quæq; a fine propositoq; notatur, & habet esse. merito igitur hæc, cuius finis est veritas, a veritate nuncupatur. Idem actiuarum disciplinarum adiectione docet. finis enim doctrinæ practice est actio, non autem cognitio veritatis, quæ in rebus agendis habetur. Nam si quando actiuus subiectum quam habeat veritatem considerant, non tamen veritatē de re aliqua sempiterna. quod videtur adiectione propterea quod veritas proprie & maxime veritas ea esse intelligatur, quæ de rebus sempiternis habetur, non quæ versatur in rebus agendis. Non igitur actiuus de præcipua veritate considerant, sed ea quæ alicui & aliquando veritas est, cōtemplationem ad actionem referentes. Agenda enim huiusmodi neq; semper sunt, neq; vniuersaliter, sed caduca potius, ac secundum ætates agentium, fortunaq; & habitudines eorum in quos aguntur. quæstiones enim de virtutibus, studioliq; actionibus, quæ non solum contemplationis gratia suscipiuntur, in rebus agendis, singulisq; versantur, quippe cum in has ipsas referantur. Sed cum dicit, (nec vt perpetuo) ostendit actiuus neq; veritatem neq; scientiam esse finem. Nam scientia & cōtemplatio sempiternorum esse intelliguntur. In quibusdam exemplaribus scriptum est, Non causam per se, sed ad aliquid, & nunc contemplantur. quod si recte habet, sensus est. Actiuus non considerant causam, quæ proprie & per se causa esse intelligitur, quæ quidem est causa vt res simpliciter vera sit, sed causam cur aliquid ad hanc rem & ad hoc tempus verū sit. veritas enim rerum agendarum, ipsarumq; causa quatenus agenda sunt, ad hunc modum sese habet.

Verum autem, sine causa nescimus.

Scientia.

Verum autem sine causa nescimus. sensus est. At fieri non potest, vt sine causa verum cognoscatur. quamobrem si actiuus non tradunt propositarum rerum cognitionem per causam proprie intellectam, ne ipsum quidem omnino verum in ipsis considerant. Quod si ad hunc modum dicatur, congruit cum scriptura secunda. sin autem simpliciter, ostendere videri potest, qui veritatem inquit, hūc vt causas rimetur oportere. Sed ostenso negociū susceptum esse inquisitionem veritatis, & hanc esse sapientiam & philosophiam contemplatricē, addit fieri non posse, vt veritatem is intelligat, qui causam ignorat: quibus verbis ac cæteris in hoc libro traditis, docet nos cognitionem causarum entium necessariam esse inquisitori veritatis. Quin & in ipso statim physici auditus exordio, & in posterioribus resolutorijs scientiam cognitionem per causam comparatam esse definit. Et in primo libro propriam alicuius rei cognitionem ex ipsius causarū cognitione pendere demonstrat, non quod omne verum innotescat ex causa, tunc enim causarum nullus esset finis, & nihil cognosci valeret, vt ipse paulo post declarabit: sed quia quorū causæ sunt, horum veritas sine causa cognosci nō potest.

Sunt autem quædam quæ citra causam cognosci possunt, ea scilicet quæ causis vacât, qualia sunt prima atq; principia quorum nullæ sunt causæ. Ergo vel sermo mancus est, quippe cui deest id, quorû sunt principia & causæ, vt in Physico auditu dixit. aut nescimus dixit pro eo quod est, scientiâ non habemus. scientia enim quæ proprie intelligitur, est cognitio per demonstrationem. principiorum autem non est proprie demonstratio, ac proinde ne huiusmodi quidem cognitio, sed alia potior quæ per demonstrationem habetur.

Scientia proprie dicta, quid.

Vnumquodq; autem maxime cæterorum est ipsum, quo & cæteris nomē idem cum eadem competit ratione, vt ignis est calidissimum, nam cæteris hic caliditatis est causa. Quare & id est verissimum, quod est posterioribus, vt vera sint, causa.

7 Vnumquodq; autem maxime cæterorum est ipsum, quo & cæteris nomen idem cum eadem competit ratione.) Præfatus fieri non posse, vt quæ causas habent, horum veritas absq; causarum cognitione percipiatur, quo declarauit contemplatrici philosophiæ causarum cognitionem esse necessariâ, nunc eandem necessitatem confirmat, docens, qui de veritate philosophatur, hunc maxime vera cognoscere oportere. maxime autem veras esse causas sempiternas, cum hæ sint causæ veritatis eorum quæ per ipsas sunt. Id enim verissimum est, quod alijs causa est vt vera sint. principia vero causæ veritatis ijs sunt, quæ ob ipsas existunt. Ens enim quodq; tam est veritatis particeps, quantum ei superpetit vt sit, quandoquidem falsum non ens est: quo fit vt sempiterna maxime entia sint, ipsorumq; cognitio maxime veritas. siquidem est scientia. Porro si sempiterna maxime entia sunt, nimirû ea multo etiam magis entia fuerint, quæ his causæ sunt vt semper existât. quia enim his causæ sunt, idcirco illa magis sunt, & maxime entia. cuius causam subiicit dicens, Vnumquodq; autem maxime cæterorum est ipsum, quo & cæteris nomen idem cum eadē cōpetit ratione.) Ex quo enim alijs superpetit vt certa quædam sint, & eodem nomine censeantur, verbi gratia vt sint & appellentur calida, illud maxime calidum est. Neq; enim solum vt ipsis inter se nomē sit commune necesse est, sed etiâ vt ipsis cum illo sit cōmune, quod ipsis vt talia sint, est causa. Tûc enim ipsum maxime tale est, cum primum est tale. Verbi causa, quod rebus calidis causa est caliditatis, id erit calidissimû, cum sit primum calidû: vt ignis cæteris rebus est causa caliditatis. hoc enim significauit per verba illa (quo & cæteris) Fieri nanq; potest, vt aliquid alijs sit causa vt talia sint, quod ipsum non est tale, vt confricatio quibusdam est causa caliditatis, non tamē quod ipsa sit calidissima. At ignis quoniam cæteris calori est causa, præditus ipse caliditate, idcirco maxime calidus est. Ergo quæ sunt entium potissimû causæ, cum ipsa entia sint, ea magis quàm cætera sunt entia, quoniâ sunt causæ ipsorum, eademq; etiam veriora. Positû est enim vt entis quodq;, sic veritatis esse particeps. Quatenus igitur semper entia & horum causæ sempiterna sunt, hæcenus vera sunt, cōmunicato vocabulo ipsis inter ipsa, & cum ipsorum causis. quatenus vero sunt aliquibus causæ vt maxime talia sint, hæcenus in sempiternis ipsorum causæ sunt veriores, quâobrem cognitio huiusmodi causarû maxime fuerit veritatis cognitio. Nam etsi semper entia, in quibus veritatur contemplatio, semper sunt vera, quia semper sunt: tamē & in his causæ veriores habentur, quàm ea quorû sunt causæ. sunt enim illæ priores, hæc vero posteriora, non quidem tempore, cum sint vtraq; sempiterna, sed natura. Causa enim quàm ea quorû est causa, prior est natura. Neq; vero absurdû videri debet verû a vero distare, quoniam verû ab esse dependet. Et cognoscibile esse variû est, cum ipsorum alia scibilia sint, alia opinabilia. necesse est enim quemadmodum in processu declarabit, vt materia eorum sit quæ motu cientur. haud enim cuncta entia scibilia sunt, entia tamē sunt vera, sed in singulis rebus veritas est cognitio rei quemadmodum sese habet, non tamen per ipsas siue separatim: siquidem non in rebus veritas habetur, sed veritas est cognitio entis quemadmodum se habet. quod si ita est, ea nimirum maxime veritas fuerit, quæ maxime cognoscit quomodo se res habet. siquidem scientia est. quare cum entis veritas sit comes, efficitur, vt maxime ens, maxime verum existat.

Verissimû quid dicat.

Veritas quæ maxime dicat.

Quapropter eorum principia quæ sunt semper, verissima sint semper necesse est. nô enim interdum sunt vera, neq; illis, vt sint, quicquam est causa, sed cæteris illa. Quare vt quodq; est, sic & veritatis particeps est.

8 Quare principia eorû quæ semper sunt, verissima sint semper necesse est.) Id est vt ipsorum cognitio semper sit verissima. Nâ si ens est verû, semper ens semper verû fuerit. Quod igitur semper vero verius est, id semper erit verissimû: huiusmodi autem sunt causæ sempiternorû, vt mûdi huius, astrorumq;, & corporum quatuor, quorû secundum speciem æternitas existit. & *

Positum est enim quod aliquibus causa est vt sint, id veritatis etiam ipsis esse causam, & hoc esse verissimû, cum semper sit. Itē nihil sibi esse causam existendi, sed cæteris. At postquam dixit, quare id verissimum est, quod est posterioribus vt vera sint, causa, subiungit: Quapropter eorum quæ semper sunt, principia verissima sint semper necesse est. Quasi constet, quod est aliquibus existendi causa, hoc eisdem causam esse veritatis. Ex quo sequitur principia semper entium esse verissima. Nam quæ semper veritas sunt veriora, ea nimirum verissima sunt, quibus verbis ostendit verû cum ente coniunctum esse &

Vt entitas
tem res ha
bet, ita &
veritatem.

cohærere. huc enim pertinet ea verba, quare ut quodque est, sic & veritatis est particeps, quasi dicat, ut entitatem res quæque habet, ac eius est particeps, sic obtinet veritatem. Non enim interdum sunt vera, scilicet quia semper sunt, quando id cunctis sempiternis est commune. Quod vero ait, Neque illis ut sint, quidquam est causa, sed cæteris illa, excessum sempiternorum in veritate significat.

At vero constat principium quoddam esse, & neque profectio recta, neque specie infinitas rerum causas esse. fieri enim non potest, ut aut in materia, cum hoc ex hoc oritur, abeat in infinitum, ut caro quidem ex terra, terra autem ex aere, aer vero ex igne fiat, & huiusce nullus sit finis, aut in eo unde est principium motus, ut homo quidem ab aere, aer autem a Sole, Sol vero a discordia moueatur, & huiusce sit exitus nullus, simili modo neque in eo gratia cuius cætera sunt, atque fiunt, in infinitum profectio esse potest, ut ambulatio quidem sanitatis, hæc autem felicitatis, felicitas vero cuiuspiam sit identidem gratia, atque hoc pacto aliud sit ob aliud semper. Eodem modo nec in ratione in infinitum abitio esse potest.

Causas non
esse infinitas.

At vero constat principium quoddam esse, & neque profectio recta, neque specie infinitas rerum causas esse. Præfatus contemplatricem philosophiam esse veritatis scientiam, quæ per causarum cognitionem comparatur, causas item maxime veras esse, quibus verbis philosophiæ contemplatrici cognitionem causarum necessariam esse confirmavit, cum sit veri contemplatrix, quoniam quæ rebus sempiternis causa sunt existendi, ea verissima sunt, ex necessitate ac prædictis conuenienter quasdam esse causas ostendit, ac in ipsis principium quoddam, hoc est primam causam, nec repeti ab infinito causas. tunc enim causæ non possent cognosci, sed neque omnino esset aliqua causa, ut ipse demonstrabit. Ostendens autem causas non esse innumeras, docet esse principium, & causas posse cognosci. Atque neque in rectum principia & causas infinitas esse posse, neque specie. Essent autem in rectum infinitæ, si quis in quocunque genere causarum una causa sumpta, retrocedens aliam priorem diceret: ut si verbi gratia in genere causæ materialis, materia alicuius rei aliam haberet materiam, & illa rursus aliam, & hoc nullo præscripto fine, prorsus ut nulla esset vltima materia, quæ non constaret ex materia, ut ipse quoque exemplo declarat, si terra esset carnis materia, terræ aer, aeris ignis, ignis quidquam aliud, & hoc in infinitum. similiter in causa efficiente, quam ipse unde principium motus appellat, ut si hoc exempli gratia esset illius efficiens & mouens causa, huius iterum aliud, & illius iterum aliud, & hoc in infinitum, quemadmodum explicat exemplo, ut si aer sit hominis causa motrix, aeris Sol, Solis rursus discordia, & iterum discordiæ aliud quidquam, & hoc dempto fine progrediatur. Similis est ratio finis, & causæ cuius gratia, si esset cuiusque propositi finis alius finis, cuius gratia fieret, & quo ferretur, prorsus ut nihil esset extremum, cuius gratia cætera fierent, ipsum vero nullius esset gratia. Nec aliter in causâ formali præcipiendum est, & ipsa, ut ipse loquitur, quiditate, si cuiusque propositæ formæ alia esset forma: exempli gratia, si animalis forma sit anima, animæ rursus aliud quidquam, ut mens, iterum mentis aliud. Atque huiusmodi quidem est causarum infinitas in rectum: specie vero, si non essent genera causarum quatuor, ut ipse demonstrauit, aut alio determinato numero, sed infinita, ut ipsi placebat qui ponebant in principijs infinita figurarum discrimina. Neutro tamem modo causas infinitas esse posse docet, & primum in rectum. Quamquam rectitudo causarum infinita non ita est nobis redarguenda, ut infinitatem secundum tempus sumamus, & ad hunc modum semper eius quod factum est ex aliquo, causam accipiamus. sic enim regressum in infinitum procedere necesse est, cum sic tempus sit infinitum, & mundus sempiternus. nam huiusmodi acceptio, non causarum, sed temporis infinitatem ostendit. sed tunc demum causarum infinitas demonstraretur, si causa alia ante aliam specie diuersa in infinitum sumeretur. Nam generationis, quæ tempore infinito nunquam intermittitur, eadem esse causæ demonstrantur.

In hisce nanque medijs extra quæ vltimum est atque prius, necesse est id quod est prius, eorum quæ sunt post ipsum, causam esse. Si enim dicere nobis fuerit opus, quid ex tribus est causa: primum sane dicemus, non enim dicemus vltimum, quippe cum nullius sit ipsum vltimum causa, at neque medium: est enim vnus, ut patet, causa. Nihil enim interest, vnum an plura sint media, & finita, an infinita. Infinitorum vero hoc pacto, infinitique omnino partes omnes usque ad hoc præsens similiter mediæ sunt. Quare si nihil sit primum, causa nulla omnino est.

In hisce nanque medijs extra quæ vltimum est atque prius, necesse est id quod est prius, eorum quæ sunt post ipsum, causam esse. Demonstratione vniuersali nullum causarum genus in rectum infinitum esse docet, ad hunc modum. In quibus sunt aliqua media, ita demum ut aliquid sit primum, aliquid extremum, & quædam interiecta, horum primum ut mediorum quæque post ipsum sequuntur, causa sit necesse est: scilicet si hæc inter ipsa sic se habeant, ut hoc causa sit, illud causæ effectus: quod

cur ita sit, demonstrat in tribus explicans rationem: ceterum hoc in loco primum & ultimum non tempore, sed discrimine formali causarum intelligi debet. Nam quæ sunt eiusdem speciei, in his non est aliud alio natura prius. Propositis ergo tribus sic inter se habentibus, si quodnam ex his ceterorum sit causa, statuendum est, profecto primum esse causam dicere oportet. Nam ultimum causa esse ceterorum dici non potest. hoc enim nullius est causa, cum nihil sit ipso posterius. Neque item medium, hoc enim causa est, si quidem esse potest, eius tantum quod sequitur, nos autem querimus ex tribus propositis, quod est ceterorum causa. Nam ut medium sese habet ad id quod ipsum sequitur, sic primum ad medium, quo fit ut medium non sit tertij causa, cum ipsum aliam causam obtineat, qua non existente, ne ipsum quidem secundum existeret. porro si non existeret, causa tertij esse non posset. Ergo dubium non est, quin primum causa sit posteriorum, sed ratione in tribus explicata, nihil ad demonstrationem interesse ait, unum ne, an plura, infinitave media sumantur: cum eadem sit in cunctis ratio. quotquot enim sumantur, primum erit proprie ceterorum causa, non medium aliquod, aut extremum. Non extremum, quoniam nullius omnino causa est. Non aliquod medium, quoniam hoc altero indiget ad existendum, hoc est se antecedente. quod si non fuerit, ne ipsum quidem erit. quo demonstrato, ubi sumptis in omnibus primum esse causam posteriorum, transit ad infinitum quod in rectum appellatur, & cum reperit in huiusmodi infinito nihil esse primum, sumit id quod sequitur, ne causam quidem in ipso inueniri posse. Nam si cunctis in rebus primum est causa, non autem mediorum aliquod, in quibus huiusmodi habetur ordo, nimirum in quibus primum non habetur, sed omnia sunt media, in ijs nihil est causa, non solum primum, sed ne medium quidem aliquod. Quod vero addit, hoc pacto, infinitum actu in causis significat, quia in huiusmodi infinitis nihil est primum, quemadmodum in difformi. Rursus quod sumptum fuerit, similiter est causa, usque ad hoc præiens, inquit, id est usque ad extremum, a quo causarum inquisitione exordimur. In quibus enim prius aliquod & posterius accipere in ordine licet, in his alterum alterius causam esse verum est fortasse dictu, licet non simpliciter causam. Prius enim posterioris causa est. In quibus vero nullum medium alterum altero prius est per huiusmodi ordinem, in his ne causa quidem sumi potest. in infinitis autem non est aliud alio prius. Nam omnia similiter sunt media, ut ipse dixit, quoniam si priora sint quæ magis accedunt ad principium, & primum: profecto in quibus neque principium, neque primum est, in his nihil erit principio propius, neque remotius. quo fit ut in medijs nullus ordo seruetur. At si ordo non constat, profecto neque aliud alio prius fuerit, nec alterum alterius causa. Neque vero tantum in rectum, & ad hunc modum infinitorum omnes partes sunt mediae, sed utcumque infinitorum, ut siquid esset magnitudine infinitum, specieve, aut tempore: nam omnium actu infinitorum quæcumque pars accipiat, media est: quia si non est media, est igitur extrema. at quod extremum habet, non est infinitum. Dixit autem, similiter hucusque siue ad hoc instans, quoniam usus fuerat demonstratione in causis sursum in rectum infinitis. Nam si a præsentis momento causas sumamus, quascumque sumplerimus, mediae sunt, si repetitio in infinitum progrediatur. Itaque huiusmodi infinitate causarum ostenditur, nihil ex causis futurum, cum causæ ante omne assumptum sursum innumerabiles sint, siquidem sunt infinitæ. quo fit ut ne causæ quidem sint futuræ. quanquam non sic ipse demonstrat, sed sumendo quoddam quasi extremum, & statuendo ac demonstrando fieri non posse, ut huius sit aliqua causa, si causæ sint sursum infinitæ. Neque enim aliter causarum infinitas nulla esse demonstrari potest neque sursum neque deorsum, quam si aliquid ponatur, a quo vel sursum vel deorsum sit assumendum. Quare si primum non est, prorsus nulla causa est: quoniam si omnes quæ velut causæ accipiuntur, quoniam ab alio causam habent ut huiusmodi existant, causæ sint, non tamè suapte natura, & nihil sit primum, nihil erit causa, quoniam nihil eorum quæ sumuntur ut causæ, sua natura huiusmodi est.

Primum, ceterorum causa, non medium, nec ultimum.

Causas infinitas nullas esse quomodo demonstratur.

At vero neque ad infera, si supera principium habent, in infinitum profectio esse potest, ut ex igne quidem aqua, ex hac autem terra: & sic semper aliud quiddam genus fiat ac oriatur. Dupliciter enim hoc ex hoc fit, non ut hoc post hoc fieri dicitur, velut ex Isthmiis dicuntur Olympia fieri, sed ut aut vir ex puero mutationem subeunte fieri dicitur, aut aer ex aqua.

At vero neque ad infera si supera principium habent, in infinitum progressio esse potest. Postquam ostendit progressionem causarum in rectum sursum infinitam esse non posse, sed necessario, si qua omnino est causa, aliquod primum est, ac principium: sic nunc vicissim demonstrat, ne deorsum quidem recta in infinitum causas ite posse, si principium causarum, & aliqua prima causa sit, ut omnis causæ effectus sit rursus alterius causa specie ab antegenitis diversi. nimirum quoniam si ita fieret, ut aliquid rursus idem generaretur ex ijs quæ prius fuerant genita, in orbem iretur, neque in infinitum causæ deorsum recta procederent: quoniam quæ sunt eadem specie, horum causæ eadem specie sunt. quod exemplo a materia sumpto docet, dicens: ut ex igne quidem aqua, ex hac autem terra, & sic semper aliud quoddam genus fiat ac oriatur quo in loco genus pro specte dixit. sed dictio qua propositum demonstrat, non caret difficultate, quam breuiter explicare tētabo. Fieri ac factum esse aliquid ex aliquo, dupliciter dici sumit. Aut enim aliquid ex eo quod iam efficitur perficiturque, factum est, quale id quod perfectum est ex ijs quæ in propriam perfectionem progrediuntur per mutationem in ipsis. sic enim ex puero vir efficitur, & hæc est generatio per accretionem, quin etiam ex addiscenti

Aurora.

Olympia
quomodo
ex Isthmijs
fieri dicant.

doctus, quæ vocatur alteratio. & ex non intelligente intelligēs, quæ est per formā mutatio. est enim perfectio. in hoc quoque genere fuerit auroræ in diem mutatio. Aurora enim perficitur in diem progrediendo, & propria speciem seu formam assumit. itaque huiusmodi generationem fieri dicit ex eo quod efficitur: quoniam est quædam ex iam facto, quodque aliquid est, in perfectionē progressio. Alia generatio est mutatio ex eo quod nondum est, in hoc aliquid esse: quemadmodum aer ex aqua fieri dicitur, quam rursus appellat ex generatione, quoniam quod ita fit, non iam factum aut præexistens fit, atque perficitur, sed est ex ipsa generatione, cum ante non fuerit. Neque enim generatio, quæ proprie intelligitur, est mutatio ex non esse omnino in esse, cum fiat ex interitu eius quod præfuerat. Aer namque fit ex aqua, non quod aqua fiat aer, sed quia aer fit ex interitu aquæ, & huiusmodi mutatione. In hoc itaque duos modos diuisum esse reperit quod ex aliquo in aliquid mutatur. quodque fit ut ex aliqua causa & subiecto, modum omisit, qui poterat ex dictione significari, quæ ait, hoc ex hoc: illud scilicet, quod hoc ex hoc, id est hoc post hoc explicamus. Nam Iudi Olympij ex Isthmijs, aut contra fieri dicuntur, quoniam Olympij fiunt post Isthmios, aut Isthmij post Olympios. Neque enim cum aliqua ad hunc modum fiunt, hoc ex hoc fieri dicitur, quasi alterum ex altero veit ex causa fiat. Huiusmodi ergo significatum omisit, quia sermo de causis, & ipsæ quæ fiunt ex causis, ab ipso susceptus est. Hæc enim ordinem tantum quendam temporis significant, cum horum non transeat alterum in alterum, nec cõferat quidquam ad alterius generationem. Sumptis igitur duobus commemoratis modis, quibus per mutationem alicuius subiecti hoc efficitur aliquid, neutro modo progressum in infinitum fieri posse docet. Nam quæ per alicuius interitum ex ipso fieri dicuntur, ea ex generatione fieri ait, non ex eo quod fit, & iam est. quæ quidem inter se ipsa reciprocantur. nam ut aer ex aqua fit, sic ex aere fit aqua, quoniam idem ipsis est subiectum atque materia. At quæ reciprocantur, hæc haud dubie non progrediuntur in infinitum, quoniam in idem regrediuntur. Quæ vero ex iam facto, quod ipsum manet ac efficitur, mutantur aut per accretionem, aut per alterationem, aut per formæ perfectionem, non illa quidem inuicem reflectuntur, tamen ex medijs ad perfectionem procedunt. Cum igitur media sic perficiuntur, videmus omnium esse aliquem finem, nec progressum ipsorum cuiuspiam in propriam perfectionem abire in infinitum. Illorum vero generationem, quæ per alterius interitum fiunt, reciprocam esse cernimus. Alterius namque interitus est, alterius generatio. Porro si generatio reciproca est, quæ sic sunt causæ, non procedunt recta in infinitum deorsum. At si neque in hoc, neque in illo modo effectus alterum alterius recta in infinitum fit causa, & sic solum aliud ex alio efficitur, omnino non fiet in infinitum recta aliud ex alio.

Ex puero igitur virum fieri dicimus, ut ex eo quod fit, id quod factum est, aut ex eo quod perficitur, id quod est perfectum. Ut enim inter esse, atque non esse, medium est generatio, sic & inter id quod est, atque id quod non est, id quod fit, medium semper est. Qui autem discit, fit sciens: & id est, quod dicitur, ex addiscente fieri scientem.

Mutatio secundum perfectionem, generatio.

Generatio, media inter esse & non esse.

Ut igitur ex puero virum fieri dicimus.) Postquam per exempla docuit mutationem alicuius in aliquid dupliciter dici, sumpto utroque exemplo, quomodo fiat ostendit, & ipsorum explicat differentiam. Ergo quæ sic fieri dicuntur, ut vir ex puero, vel doctus ex addiscente, hæc id habent peculiare, quod ex eo quod fit, & iam est, perficiturque, & est medium, mutantur in factum & perfectum. Nam vir factus est ex puero, cum id ex quo fit, iam esset, & maneret, idemque fieret & mutaretur in perfectam viri formam ex imperfecta. Pari ratione doctus ex addiscente, & eunte in perfectionem. Sic item intelligens. Mutatio enim secundum perfectionem & intelligere, generatio quædam est, & ipsum quod intelligitur, forma est & perfectio intellectus intelligentis. Quæcumque enim ad hunc modum ex aliquo fiunt, eo ex quo fiunt, saluo, & in perfectionem eunte fiunt. sed postquam dixit, ut ex eo quod fit, id quod factum est, addit: aut ex eo quod perficitur id quod perfectum est, non quod aliud significetur, sed quia idem utroque modo dici potest. Nam quod ita factum est, ex eo quod efficeretur, & iam esset, fiebat: & perfectum est ex eo, quod perficiebatur. quod enim fit, idem perficitur. Sed ubi dixit talia fieri ut ex eo quod efficitur, docet quod efficitur, id entis & non entis medium esse, quoniam ut inter esse & non esse medium tenet generatio, quæ est mutatio ex non esse ad esse, quæ neque non ens est, neque iam ens: (nam per generationem efficitur mutatio de non esse ad esse) sic quod fit, cuius est generatio, se habet ad simpliciter ens, & simpliciter non ens, & ipsorum est medium: quod ostendit, quia omne quod fit, per aliquod medium & ex aliquo medio fieri videtur. Nam ut ex generatione, quæ media est inter esse & non esse, fiunt quæ ad hunc modum efficiuntur, sic quod ex eo quod fit, efficitur, ex medio quodam efficitur. Nam quod fit, medium est entis & non entis, quippe quod alias est ens, alias non ens. Non est simpliciter ens, quoniam non est perfectum. ens autem perfectum iam quiddam est, neque simpliciter non ens, quia contradictionis nihil est medium. quod enim quodammodo est ens, idem profecto ens est. Sed quomodo quæ sic ex aliquo fiunt, ex eo quod fit perficiuntur, exemplo addiscentis declarauit. Addiscentis enim est qui doctus efficitur. qui quidem ex addiscente ad hunc modum fit, quoniam addiscentis efficitur, manetque, dum ad scientiam progreditur, quæ addiscentis est perfectio. Neque enim addiscentis simpliciter efficitur, sed doctus efficitur, & ipsum addiscere medium est inter scire, quod est proprie ens: & plenam ignorantiam, quæ non ens simpliciter videri potest. Quæ igitur ad hunc modum ex aliquo fiunt, hæc ex medio entis & non entis efficiuntur.

Ex aere vero fit aqua, altero subeunte corruptionem. Quapropter in illis quidē non fit reflexio, neq; fit puer ex viro. Non enim ex generatione fit id quod fit, sed est post generationem. sic enim ex aurora fit dies, quia post illam. iccirco neq; ex die fit aurora. In hisce vero reflexio fit. Neutro autē modo in infinitum abitio esse potest. Etenim illorum quidem cum sint media, finem esse necesse est, hæc autem reflectuntur. alterius enim corruptio, alterius est generatio.

13 Ex aere vero fit aqua, altero subeunte corruptionem. Transit ad alterū intellectum ex ijs quæ per diuisionem explicat, ipsum eiusq; exemplum ponens, dum ait, ex aere vero fit aqua aliterq; fieri docet, quā ex addiscente sapientem, nec ex medio effici. huiusmodi enim generatio altero intereunte fieri dicitur, non autem manente & proficiente. quamobrem quæ priore modo perficiendo scilicet fiunt, ea non recipiuntur inter se. Neq; enim ex puero vir efficitur, & rursus ex viro puer, quippe cum perfectum non regrediatur in imperfectū. cuius causam reddens ait: Non enim ex generatione fit id quod fit, sed post generationem. id est, Neq; enim quod ad hunc modum fit, ex alterius interitu ipsaq; generatione fit, sed ex aliquo iam factō. Nam post generationē est factum esse, cum quæ fiunt per externorum interitum, ijs principium existendi sit ipsa generatio, quandoquidē illorum mutatio & interitus est horū generatio, non autem illa manent & fiunt. quæ autem perficiuntur, & ad hunc modum ex quibusdam fieri dicuntur, non fiunt ex generatione & mutatione prima, sed post generationem. Nam quod efficitur, est quod ex generatione factum est: vt infans, qui proficiens etate, puer, ac deinde vir efficitur. At vir non efficitur ex generatione, sed ex facto ex generatione & proficiente: quamobrem quæ ad hunc modum fiunt, non fiunt ex generatione, sed post generationem. Quibus dictis addit diem ad hunc modum ex aurora fieri. nam ex aurora dies efficitur, non item ex die aurora, appellatq; auroram ipsum diluculum: aurora enim est imperfecta. Nec dies ita fit ex aurora, vt Isthmij ex Olympijs: in his enim posteritas tantū, ac ordo temporis significatur, nō alterum est alterius subiectum. At aurora cum dies efficitur, mutatur, manetq; ac perficitur: est enim aurora dies imperfectus. in ipsa enim diurna lux nōdum est expressa & clara, sed maligna etiam nunc. Dixit autem, quia post illā, quoniam aurora paulo post perficiēdo dies efficitur. Postq; vero docuit quæ ad hunc modum fiunt, ea non inuicem recipiari, vt exēplis & causa commemorata patet, disputat de ijs quæ ad interitum aliquorum ex ipsis fieri dicuntur: quæ quidem ex generatione fieri dicebat, docetq; ipsorum mutuam esse recipiariem. Nam vt ex aqua fit aer, sic vicissim ex aere aqua. Neq; enim alter alterius est finis, sed omnia talia quæ ex generatione fiunt, propriam quandā perfectionem habent, communē autem materiam ipsorum ex æquo recipiariem. Porro quæ sic efficiuntur, inter se recipiari, tum vsu rerum exploratum est, tum quia corporū formalis differentia non procedit in infinitum. quæ procederet, si ad hunc modum in infinitum aliud ex alio fieret. Etenim, inquit, illorum cum sint media, finem esse necesse est. Eorum dicit, quæ ex medijs fiunt, & iam ex generatione sunt entia, vt ea quæ fiunt proficiendo. Nam eorū finis aliquis est, quæ iam entia quædam, & media sunt. Hæc igitur idcirco nō habent generationem infinitam deorsum, quia finem habent quo per media ferantur, alia vero quoniam inuicem recipiariunt. & adiecit: Alterius enim corruptio, est alterius generatio. quod in auditu quoq; physico demonstratū est. Potest etiam illorum verborū sensus esse, Nam quæ media sunt, horum medius aliquis finis est.

Aurora.

Corporū formalis differentia non procedit in infinitum.

Et insuper fieri nequit, vt ipsum primum cum perpetuum sit, corrumpatur. Cum enim generatio nō in infinitum sursum proficiatur, id ex quo corrupto primo quippiam ortum est, perpetuum non esse necesse est. Præterea id gratia cuius cætera fiunt, est finis. Tale autem est id quod nō ob aliud fit, sed alia illius gratia fiunt. Quare si vltimum tale fuerit, non erit in infinitum abitio. sin vero nihil fuerit tale, non erit id gratia cuius cætera fiunt. Sed qui infinitionem faciunt, ipsius boni naturam e medio tollunt, & tamen nemo quicquam agere aggredietur, si non sit ad vltimum accessurus. Neq; profecto mens erit in ratione rerum, gratia nanq; cuiuspiam semper is agit, qui mentem habet. hoc enim est vltimum. vltimum vero est finis.

14 Et insuper fieri nequit, vt ipsum primum cum perpetuum sit, corrumpatur: cum enim generatio non in infinitum sursum proficiatur, id ex quo corrupto primo quippiam ortum est, perpetuum non esse necesse est. Postquam ostendit in vniuersum primū causas infinitas sursum esse nō posse, deinde ne deorsum quidē, nunc idem de singulis causis priuatim demonstrat, & in primis de causa materiali. Demonstraturus autem causas non posse in infinitū sursum procedere, illud iacit fundamentum, primū subiectum sempiternum esse. Nam si natum fuisset, aliquid sane ipsum præcederet, ex quo fuisset genitum: ac proinde ipsum non esset primum: cum ergo nullū subiectum sit eo prius, efficitur vt primum subiectum sempiternum, & ingenitum sit: quamobrem ex quo intercedente aliquid efficitur, id non est primum subiectum. Nam quod intercedit, id profecto non est sempiternum.

Primum subiectū, sempiternum.

Materia ex
accidenti
perit.

num, primum autem subiectum est sempiternum, non igitur materia intercidit, sed eadem manet: sed (Ex quo corrupto primo) dixit, quasi diceret: ex quo abolito per se, non ex accidenti, aliquid efficitur, id non est sempiternum. Materia enim ex accidenti perit, quoniam priuatio quæ ipsi accidit in generatione eorum quæ ex materia fiunt, aboletur. hoc est enim quod per se interit, per se vero materia immortalis est. At si aliud ex alia in infinitum fieret, nec eadem in cunctis generatis maneret, ipsa per se interiret. Ergo sensus potest ad hunc modum explicari, qui infinitum sursum inducit, aliud alij materiam fieri tradens, hic confiteatur oportet primum subiectum interire, quod sempiternum esse necesse est. siquidem ipsi nihil aliud subijcitur. neq; enim causæ sursum in infinitum procedunt. hoc autem diceret interire, si negaret idem cunctis generandis subijci, idemq; manere, sed subiecti interitum assereret. Nam si quod est ipso posterius, ex ipso abolito generatur, profecto ipsum non est sempiternum. Si enim causarum sursum tendentium est aliquis status, aliquid initium faciat oportet, primumq; ex prima materia generetur. At si ipsa intereunte fieret, neq; motus esset sempiternus, neq; ipsa iam esset prima & sempiterna, quæ prima cunctis subijcitur. Causa igitur materialis non procedit in infinitum sursum. Hæc enim breuissime ab ipso dicta sunt, qui postquam dixerat: Et insuper fieri nequit, ut ipsum primum cum perpetuum sit, corrumpatur: hoc quo primum sempiternum esse demonstratur, addit. (Cum enim generatio non in infinitum sursum proficiscatur) illud reticens idcirco primum subiectum est sempiternum. Vel postquam dixit, Hæc autem reflectuntur inter se, alterius enim corruptio, est alterius generatio, hoc probauit ostendens primum subiectum, quod est proprie materia, sempiternum esse. interiret namq; nisi permaneret & conseruaretur in cunctis rebus efficiendis, sed quæ ex ipso fiunt, ipso intereunte fierent, & sic rursus quæ fiunt ex his, & ad hunc modum causa materialis deorsum procederet in infinitum, quod quidem est absurdum. Nam ut demonstratum est, aliquod primum subiectum sit oportet, idemq; in cunctis rebus efficiendis immortale maneat. quo fit ut ex ipso existentia inuicem reciprocentur, prorsus ut alterius interitus, alterius sit generatio. in quocumq; enim efficiendorum fuerit, potetiam retinet, ut iterum in eodem specie possit esse, ex quo mutatur. Et hæc est quæ in efficiendo mutatur, non autem semper vere in infinitum aliud alij subiectum sit, sed ipsa mutando in opposita mutatur, in quæ dum ipsa transit, generatio reciprocatur. Neq; enim hæc est, quæ interit in mutatione in generationem. Alioquin non esset sempiterna, sed aliud quiddam est ex quo per se ac primum intereunte res efficiuntur, priuatio videlicet, ut in primo physici auditus demonstratur. Sed ostenso in causa materiali non posse materiales causas deorsum in infinitum procedere, deinceps idem in causa finali docet, dicens: Quoniam vero id gratia cuius cætera fiunt, est finis, tale autem est id quod non ob aliud fit. quorum verborum hic est sensus, si est aliquid id cuius gratia, & causa finalis: profecto causæ huiusmodi non est infinitus progressus. est enim causa finalis, id cuius gratia cætera fiunt, & ipsum nullius. quod autem est huiusmodi, id extremum est. si ergo in operibus naturalibus est extrema causa, hæc autem est causa finalis, non est progressus deorsum in infinitum. contraq; si est in infinitum progressus, causa finalis non habetur in operibus naturalibus, neq; id cuius gratia. At in operibus naturalibus huiusmodi causam esse negare, id quidem est naturam boni ex rebus efficiendis tollere. Nam cuius gratia cætera fiunt, id bonum ipsum est. quod inductione declarat: omnis enim ars, & omnis disciplina, similiter actio & electio bonum quoddam appetere videntur, ut dixit in Ethicorum exordio: & princeps bonum est, quod appetunt omnia. quare quæcumq; vel ratione vel natura fiunt, horum finis est bonum. Nemo enim prorsus ad quidpiam vel agendum vel efficiendum aggredieretur, nisi idem esset ad finem perducturus. si ergo finis & huiusmodi causa est rerum efficiendarum propositum, certe hoc sublato, nullum opus inciperetur. Illud quoq; tolleretur, mentem, intellectumve, & naturam, esse rerum efficietes. quæcumq; enim vel natura vel intellectu fiunt, alicuius gratia fiunt. sublato autem eo cuius gratia res per naturam aut intellectum fiunt, nihil neq; per intellectum fieret, neq; per naturam. Ad hæc, ut ipse in Ethicis testatur, frustra esset appetitus, nisi esset aliquis finis omnium rerum agendarum, sed aliud ob aliud in infinitum efficeretur. (Et tamen nemo quidquam agere aggredieretur,) manifesto argumento fieri non posse docuit ut huiusmodi causa e rebus summoueat. Porro si est in efficiendo quoque præscriptus finis, nimirum causa finalis non progredietur in infinitum: sed postquam confirmauit causam finalem in rebus haberi, mutato in terminum finis vocabulo, docet huiusmodi causas non excurrere in infinitum, quoniam quorum est aliquis terminus, ea non sunt infinita.

Bonum id
est, cuius
gratia cæte
ra fiunt.

At vero neque quiditas in aliam definitionem abundantem ratione redigi potest. Semper enim ea quæ est ante, est magis: ea vero quæ est posterior, non est. vbi autem primum non est, neq; id est profecto quod hæret.

At vero neq; quiditas in aliam definitionem copiosorem sermone redigi potest. In causa quoque formali (hæc enim est quam quiditatem appellamus) non esse processum in infinitum, demonstrat, ut propositæ formæ aut definitionis alia rursus forma & definitio sit, quod significauit addens (copiosorem sermone.) Definitio enim copiosior sermone, quam definitum esse videtur. Neq; enim homo par dictione est eius definitioni, animal rationale mortale. Omne autem definitum nominis locum habere videtur si ad eius explicatam definitionem spectes: quod quidem mihi loco incommodi ad.

didisse videtur. Si enim definitio copiosior est sermone, quam definitum, sermones, orationesve per quos definitiones redduntur, in infinitum augecerent, quod est absurdum. ergo fieri non potest ut semper explicatae definitionis sit aliqua definitio, ut sit animalis definitio, substantia animata sensu-
lis, & huius iterum definitionis sit alia definitio, aut cuiusque eorum quae in definitione continentur, quo enim definitio longius a proxima hominis, qui definitur, definitione procedet, eo minus for-
mam hominis explicabit, minusque ipsum definit. semper enim prima & proxima definitio est rei ipsius definitio. posterior vero non iam illius rei est, sed definitionis de ipsa redditae. In quibus ergo
quae primum explicatur non est definitio, in his ne secunda quidem, aut tertia, aliave fuerit: quo-
niam harum quaeque definitio proxime ante ipsam explicatae definitionis, non ipsius rei est definitio. Cuius enim quae primo redditur, non est definitio, huius multo ea minus quae post primam red-
dita est. Si enim primo reddita definitio velut rei ipsius reddita est, secunda vero velut rationis de re ipsa redditae, si prima non est rei definitio, ne secunda quidem erit ipsius. Haec enim ipsius esse pote-
rat, si primo reddita, cuius secunda reddita est, ipsius rei fuisset. Nam omnino in quibus primum non
est, in his ne secundum quidem habetur, quod sit alicuius primi secundum. quare quorum non est
prima definitio, ne secunda quidem fuerit. Potest & primam ultimam appellare. Nam ultima ratio
& ultima causa, & ultima forma, post quam non amplius querimus quare, est proprie definitio: quae
si nulla fuerit propter infinitum processum, ne priores quidem ipsa fuerint. Sunt tamen qui illud (ser-
mone copiosiore) sic accipiant, quasi dicat primo reddita definitioni semper aliquid addi, prorsus
ut secunda definitio pluribus verbis constet, quam prima: quoniam semper ei quidquam additur, ut
si prima hominis definitio sit animal ingrediens bipes, secunda vero quae habeat adiunctam aliqua
differentiam diuersam a praedictis, verbi causa rationale, & rursus huic addatur alia, ut primo red-
dita definitio augeatur in infinitum.

Non cuius-
uis defini-
tionis est
definitio.

Propria
definitio.

Præterea qui ita dicunt, scientiam e medio tollunt. fieri enim non potest, ut quicquam
sciatur antequam ad indiuidua sit profectum.

16 Præterea qui ita dicunt, scientiam e medio tollunt: fieri enim non potest, ut quidquam sciatur an-
tequam ad indiuidua sit peruentum. Indiuidua nunc appellat, quae sine medio adsunt. ex continen-
tibus enim, & quae sine medio adsunt, scientia paratur, ut in posterioribus resolutorijs dictum est. quod
fieri non potest, si omnium in definitione contentorum sint definitiones, & ex his definitionibus de-
finitio propositae rei compleatur. Nunc enim quod per definitionem cuiuspiam adesse demonstratur,
id sine medio ipsi videtur adesse. at si omnis definitionis definitio fuerit in infinitum, semper erit
terminus aliquis medius causae, qua aliquid alicui adesse demonstratur, & subiecti cui demonstratur
adesse. nunquam enim cuiuspiam aliquid adesse sine medio accipi concludi poterit, si semper eius
quod accipitur, fuerit definitio. Neque enim animal homini sine medio aderit, sed per hoc quod ho-
mo est substantia animata sensualis. Rursum hoc ipsum, substantia animata sensualis, aderit homini
per propriam definitionem, & illa iterum pari ratione per suam, & hoc in infinitum. Semper namque
definitiones definitionum sumptae erunt medij termini, per quos definitis adsint ea quorum sunt de-
finitiones. Indiuiduae igitur ac medio vacantes propositiones tollentur: quibus sublatis, scientia quoque
& demonstratio sublata erit. Veruntamen sunt qui indiuidua singularia esse intelligant, dicantque scien-
tias tunc habere suum scibile, cum ea de quibus habentur, indiuiduis ac proprijs congruere reperiun-
tur. Tunc enim quispiam scientiam eorum habet quae homini adsunt, cum dicta singulis homini-
bus congruunt. Fieri autem non potest, ut ad indiuidua perueniatur, si causae deorsum sine fine pro-
cedant, quoniam indiuiduum est ultimum. Ut autem ad hoc perueniatur, fieri non potest, si mediae
causae sunt infinitae: prorsus ut dictum non de forma tantum & definitione, sed de cunctis commu-
niter causis dictum esse intelligatur.

Indiuidua.

Cognitioque esse non potest. Qui namque fieri potest, ut ea quae hoc pacto sunt, infini-
ta intelligantur? Non enim simile est in linea, ubi in diuisionibus quidem non statur.
Non fit autem ut intelligamus, nisi diuisioni modum ponamus. Quocirca diuisiones
non enumerabit, qui infinitam transsit.

17 Cognitioque esse non potest. Docuit infinitorum actu cognitionem esse non posse, & ab augenti-
bus definitiones & causas, (communis enim est omnium ratio) cognitionem tolli, cum ex cognitio-
ne causarum, cognitio rerum, quam scientiam appellamus, existat, dixitque infinita non posse cogno-
sci, sed quoniam contentia infinita quodammodo esse videntur, propter dissectionem in infinitum,
eademque cognosci posse, ipsorum namque diuisio in infinitum esse intelligitur, deinceps docet non per-
inde infinitatem in illis esse, atque in recto causarum processu in infinitum, dicens. (Qui namque fieri
potest, ut ea quae hoc pacto sunt, intelligantur?) id est, quae sunt actu infinita. Nam linea confessione
omnium infinite diuiditur, quia diuisio non consistit, nunquam tamen lineam in infinita diuisam esse
intelligimus: sed cum intelligimus dissectiones, consistimus, & a diuidendo cessamus, & sumimus fl-
nitas diuisiones. Intelligimus enim quomodo linea sine fine secetur, & in vniuersum continetia, non

Lineae di-
uisio.

item infinitas eius diuisiones intelligimus: semper enim quotcumque intelligimus, finitas intelligimus. hoc enim est quod ait, (Non fit autem ut intelligamus, nisi diuisioni modum ponamus.) Quam obrem qui lineam continentem, ac infinite diuiduam transit, is non ita transit, ut sectiones numeret, ipsasque quatenus diuidi possint, accipiat. Nam qui ad hunc modum transiret, nunquam ad finem perueniret ipsius. Dixit autem, (quin finitam transit) pro eo quod est infinite diuiduam. Ceterum ille partes vniuersas lineae transit, quia infinitas non actu habetur in ipsa, sed potentia. At causarum si altera alterius deorsum sine fine causa est, nulla omnium cognitio esse potest. fiunt autem omnes actu infinitae. Si ergo rerum cognitio ex cognitione causarum pendet, ut dictum est, & causarum ob infinitatem cognosci nequeunt, ne ea quidem cognosci poterunt, quorum haec sunt causae.

Quinetiam materia hoc ipso quod mouetur, intelligatur necesse est: atque infiniti nullius est esse: quod si ita non est, infiniti esse infinitum non est.

Infini-
tum
suapte na-
tura cog-
nitioni in-
eptum.

Materia
quomodo
sit intelli-
bilis.

Esse rerum
diuersum.

Quinetiam materiam dum mouetur intelligere necesse est. Infinitum cognitioni suapte natura 18
ineptum esse, docet argumento materiae, quae sua ratione infinita esse videtur, cum ex propria natura sit informis, ac sine vilo proprio fine. quoniam igitur est huiusmodi, ipsius non habemus scientiam. aliquo enim moto ipsam cognoscimus, quippe cum opinabilis sit, non scibilis, ac ut ait Plato, spuria ratiocinatione cognoscibilis: ut vero Aristoteles, analogia proportionemque cognoscibilis & opinabilis: quemadmodum in physicis docuit. Idem est sensus si scriptum sit, (quinetiam materiam in ipso quod mouetur intelligere necesse est.) quidam tamen (materiam mobilem) scribunt: qui sic dictio- nem explicant. Quoniam materia non est infinita, quemadmodum actu infinita, idcirco illa cog- nosci nequeunt. ipsa vero licet ut est, sic esse infinita dicitur, quia semper in motu & mutatione aliqua esse intelligitur, id est, quoniam propria forma & qualitate vacat, & subinde aliam aliamque formam commutat, licet igitur ita sit infinita, ut propter continentem motionem talis appelletur, intelli- bilis tamen est atque scibilis. Neque enim pari ratione infinita est, atque ea quae cognosci nequeunt. quasi dicat, materiam quae semper mouetur, & est in fluxu, & ob id infinita esse dicitur, quemadmo- dum lineam propter sectiones intelligere necesse est, quoniam non illo modo est infinita. Vel mobi- lem intelligere necesse est dixit, pro eo quod est, quae moueri, & in fluxu versari, ac idcirco infinita nuncupari ut linea, & in tali esse infinitate intelligatur necesse est. idcirco enim ne materia quidem est scibilis. Haec effatus, hoc quod vniuersale est, adiicit. (Atque infiniti nullius est esse. quod si ita non est, infiniti esse infinitum non est.) quorum verborum sensus ad hunc modum explicatur. Quem- admodum homo & hominis esse differunt, sic fit in cunctis rebus compositis. esse enim rei cuique per rationem & formam adest. homo enim ex materia & forma constat. esse autem hominis sim- plex est, quippe cum forma sit eius esse. Nam in rebus incorporeis idem est res, atque ipsius esse: sicut enim anima hoc est, quod esse animae. eadem in rebus habentibus esse in materia differunt. Quauis ergo actu infinitum cognosci nequeat: esse tamen ipsius neque fine caret, & cognosci potest. Ratio enim quae ipsius naturam explicat, & forma non est infinita, & cognosci valet. Sed ubi dixit, Atque infiniti nullius esse) quod significat nihil actu infinitum esse posse, subdit (quod si ita non est, infi- niti esse infinitum non est) id est, per quod infinitum cognosci potest, potest autem per rationem, id non est infinitum. Nam infinitum non est cognoscibile, quatenus est infinitum. Illud autem (atque infiniti nullius est esse) vel significat nihil esse actu infinitum, aut nullam esse rem cui ratio infiniti congruat, quia nulla est infinita. Quod si cui congruere statueretur, ratio tamen ipsa per quam infi- niti cognitio comparatur, non esset infinita. Causas porro efficientes non esse infinitas, tamquam per- spicuum priuatim ostendere omisit, quia si effectus non sunt infiniti specie, sed recipiuntur, certe multo minus causae ipsorum effectrices fuerint infinitae.

Atqui si infinitae etiam essent multitudine species causarum, neque hoc pacto rerum profecto consequi cognitionem possemus. Tunc enim scire arbitramur, cum causas cognouerimus. Fieri autem nequit, ut infinito in tempore, id quod infinitum est, additione pertranseamus.

Causas ne
specie quae
infinitas
esse.

Atqui si infinitae etiam essent multitudine species causarum. Cum sibi proposuisset demonstra- 19
re causas non esse infinitas neque in rectum, neque secundum speciem, & docuisset non esse infinitas in rectum neque sursum neque deorsum, nunc dicit ne specie quidem causas infinitas esse posse, iacto fundamento praedicto, actu infinita non posse cognosci. Nam specie infinita, haud dubie actu sunt infinita, ac proinde cognosci nequeunt. Quod si causae, hoc est principia cognosci nequeunt, ne illa quidem cognosci poterunt, quae ex ipsis fiunt. Tunc enim aliquid nos cognoscere putamus, cum ip- sius causas cognoscimus: quo fit, ut si causarum huiusmodi infinitas detur sublata principiorum cog- nitione, scientia de medio tollatur. Quod vero sequitur, (fieri autem nequit, ut in tempore finito id quod infinitum est, additione pertranseamus) huiusmodi est: omnis intellectio, quae comprehensio quaedam est rei intellectae, in tempore finito fit. infinitum vero additione, id est actu: est enim actu infinitum, cuius sem-

per est aliquid præterea sumere, & in quo quidquid acceperis, aliquid extra superest. Quod igitur ad hunc modum est infinitum, non potest tempore finito pertransiri. Nam quod potentia & diuisio, ne est infinitum, id tempore finito potest pertransiri: quod actu & additione, id non potest: quoniam semper comprehenso & intellecto aliquid aliud adiicitur. Si ergo intellectus quæ intelligit, ea tempore finito intelligit, pertransitque, infinita vero tempore finito pertransiri & intelligi nequeunt, quia semper acceptis & intellectis aliquid adiicitur, profecto intellectus infinita intelligere non potest. Noster itaque Aristoteles ad hunc modum causas infinitas esse non posse demonstrauit. Cæterum potest idem alia via demonstrari, ad hunc modum. Rerum causæ aut plures sunt, aut vna, sed vna causa esse non potest eorum quæ sunt & fiunt, vt alio in loco demonstratur. Subiecto enim aliquo, quod efficitur indiget, & efficiente, secundum formam fieri aliquid demonstratur. vna ergo tantum causa esse non potest, sunt igitur plures. At si plures, aut omnes sunt infinitæ, aut aliquæ, aut vna. Vt omnes aut aliquæ sint infinitæ, fieri non potest, scilicet quia multa infinita esse non possunt. Porro neque vna infinita esse potest, cæteræ finitæ, quoniam infinitum cum sit vbique, alteri siue finito siue infinito locum non relinquit. Sed neque si vna sola causa sit, ea potest esse infinita, quoniam nullius esset causa. Neque enim ei cuius est causa, locus relinquatur, si causa sit vbique: quoniam haud dubie infinitum existens quantum aliquid erit per se hoc, seu sit vbique secundum quantum, siue secundum tempus. Quæ argumentatio quanuis probabilis & dialectica esse videatur, potest tamen similiter prædictis accommodari.

Causas non esse infinitas, demonstrandi ratio

Auscultationes autem per consuetudines fiunt. Nam vt consueuimus, sic & oportere dici censemus, vt ea quæ præter illas sunt, non similia, sed ob insolentiam ignota nobis, alienaque magis videntur. Quod enim nobis est consuetum, id nobis est notum. Quam autem ea vim habent quæ consueta sunt nobis, leges ipsæ declarant, in quibus circa fabulosa & puerilia consuetudo magis quam veritas potest. Quidam igitur nisi quispian mathematice dicat, non acceptant eos qui dicunt. Quidam nisi per exempla dicatur, non approbant. Sunt & qui poetam testem adducendum esse censent: atque alii quidem omnia exacte dici volunt, aliis autem molesta est exacta doctrina, aut quia sequi non possunt, aut quia quasi calculum de rebus exiguis id ipsum esse existimant. Habet enim tale quid ipsa exacta doctrina, quare quibusdam vt in pactis atque contractibus, sic & in sermonibus diligentia talis illiberale quoddam esse videtur.

Auscultationes autem per consuetudines fiunt. His verbis docet, qui harum rationum auditores esse possint, quos & peritos esse, & diligentissime exerceri oportere ait: propterea quod auditiones ex morum proprietate peculiari fiunt. Nam quibus sumus assueti, his censemus quæ dicuntur consentire. Quæ vero præter consuetudinem nostram dicuntur, ignotiora nobis videntur, quia peregrina alienaque sunt. quod significat per illa verba, (item & præter hæc non similia videtur.) quanquam illud (item) superuacaneum esse videretur. quod si adscribatur, illud (aliter dici) desideratur, in hunc modum, Item aliter dici quam consueuimus, & diuersa ab ijs quæ audire solemus, videntur. quod significat cum ait, quæ præter hæc dicuntur, ignotiora fieri. Hæc effatus, docet quam vim habeat consuetudo argumento legum. Multa enim fabulosa a legumlatoribus statuuntur, quoniam sic ea credi ex vsu est, quibus fides ab ijs qui legi parent, habetur, quoniam his audiendis assuescunt, vt aliquos esse Terrigenas, qui a terra nati fuerint, & alios sparsis dentibus esse procreatos, ac proinde pro terra matre pugnare oportere, vel deos de ipsa contendisse. Atque ad hunc quidem modum Aristoteles dicto suo fidem facere conatur. Illud autem, (consuetudo circa ipsa magis quam cognoscendi veritas potest) huiusmodi est, vsque adeo consuetudinis quam veritatis maior est vis, vt cum falsa sit, veritatem tamen superet consuetudo, quoniam cognitio est secundum veritatem. Quibus ostensis, & per hæc vi consuetudinis explicata, auditorum exponit differentias, quibus inter se propter consuetudinem differunt. Nam qui sunt mathematicis assueti, ij dictorum demonstrationes mathematicas omnino & exactas requirunt, aliter explicatas non admittunt. Quibus autem per exempla discere mos est, ita docentibus delectantur. Iam qui poematis gaudent, & in his ætatem consumpserunt, disputantes ferre nequeunt, nisi poetam quempiam dictorum testem adhibuerint. Item quidam omnia accurate perquirunt. Sunt qui exactam perquisitionem abhorreant, vel quia laborant, nec id consequi possunt: vel quia nimium accurate discutere, hominis esse putant minutissima quæque ad calculos reuocantis. Hoc est enim quod ait (propter micrologian) id est, minutarum rerum rationem. Huiusmodi enim speciem præ se fert dictorum nimium accurata discussio, sumpta sic opinione occasione a contractibus, & nimia ratione eorum quæ veniunt in vsu. Sunt enim quibus vt in contractibus, sic in dictis quoque nimia diligentia tanquam illiberalis damnetur, & paruorum rerum discussio. Hæc vbi dixit, ac vim consuetudinis ostendit, quæ facit, vt pro suo quisque more quæ dicuntur accipiat, adiungit

Consuetudinis vis in disciplinis.

Fabulosa multa a legumlatoribus statuuntur.

Discetium varietas.

Idcirco eruditum esse quemque oportet, quoniam pacto quæque sunt acceptanda, quoniam absurdum est scientiam simul, & scientiæ quærere modum, vbi ne alterum quidem consequi facile est. Mathematicorum autem exacta discussio non in vniuersis est flagitanda, sed in hisce duntaxat quæ materia vacant. Quapropter modus ille non naturalis esse videtur. vniuersa nanq; natura fortasse materiam habet. Quãobrem primum quid sit natura, considerare oportet. hoc enim pacto, & quibus de rebus est scientia naturalis, & si vnius facultatis, an plurium sit, causas principiaque contemplari profecto patebit.

Nō omniū
rerū simi-
lis est do-
ctrina.

Mathema-
tica inquis-
itio i qb⁹
versetur.

Idcirco eruditum quemq; esse oportet, quoniam pacto quæque sunt acceptanda. Quod tantumdem est, ac id quod in Ethicis præcepit, periti hominis esse exactum ipsum eatenus in vnoquoque genere flagitare, quatenus fert ipsius rei natura, quod per posteriora resolutoria demonstrat, innuēs nobis in vniuersum peritum esse oportere, nosseq; quo quisq; modo præcepta debeat audire. neque enim sunt omnia similia, nec similiter exacta doctrina postulatur omnium præsertim qui de rebus audituri sunt, de quibus susceptus est sermo, quæ neque sensibilia sunt, siue de sensibilibus, nec nobis nota aut familiaria. Quibus verbis significat in resolutorijs & omnino in logicis exerceri oportere, ac demonstrationum modos cognoscere, & rationum conclusiones. Absurdum est enim simul aliæ cuius scientiam quærere, simulque quomodo ipsa scientia gignitur & comparatur, indagare: cum ne alterum quidem facile reperiatur. Quod vero in libro Ethicorum primo tradidit, dum rationes quomodo essent accipiendæ doceret, simile esse mathematicum suadentem ferre, & ab oratore demonstrationes postulare, id hoc in loco confirmat, qui exquisitionem mathematicam negat cunctis in rebus esse petendam, sed in ijs tantum quæ materia vacat, qualia sunt abstracta, & mathematica, innuens fortasse huiusmodi exquisitionem in præsentia desiderari. Quæstio enim de primis causis, de rebus est materia vacantibus, nec nobis familiaribus. Illud autē: Quapropter ratio illa non naturalis) vel dixit quoniam est exacta. hoc enim prædixerat. sed in quibusdam exemplaribus modus scribitur pro ratione, & tunc sensus esset, modum esse physici. Vel quod dicit, est huiusmodi, omnia naturalia cum materia esse videntur, mathematica vero sine ipsa: quo fit vt mathematica hanc exactam diligentiam admittant, naturalia non item. Rationes igitur mathematicorum, quæ de rebus immaterialibus habentur, non sunt naturales. Neq; enim tam exquisitam rationem res naturales capiunt, vt quibus adest materia. Et fortasse verba hæc ad rationes siue sermones pertinent propositarum rerum: quæ rationes non sunt naturales, vt quæ de rebus immaterialibus habeantur, quæ exactiores rationes, quàm res naturales desiderant. Sed dicens, Vniuersa nanq; natura fortasse materiam habet) aduerbium fortasse idcirco apposuit, quoniam circumlatum corpus est illud quidem naturale, non tamen pro subiecto materiam habet. Illud autem quod sequitur: Quãobrem quid sit natura, considerare oportet. hoc enim pacto, & quibus de rebus est scientia naturalis, patebit: si simpliciter vt dictum esse videtur, accipiatur, hunc librum non pertinere ad metaphysicam disciplinam declarat, vt initio eius annotauimus, sed esse quandam præfationem omnis philosophiæ contemplatricis, cuius prima pars quo ad nos est physica seu naturalis, quæ qualis sit, & de quibus rebus differat, tunc inuestigare poterimus, si primum quid sit natura considerabimus. Siquis tamen verba illa sic accipiat, vt ad rationes naturales & metaphysicas diiudicandas referat, (qui enim primum quid sit natura considerauerit, & in quibus rebus naturalis doctrina versetur, cognouerit, is non esse has rationes naturales, sed exactiores, & de rebus vacantibus materia perspiciet) si huc igitur verba pertineant, sensus fuerit, non quidem hoc in loco quid sit natura differendum esse: sed oportere ante hanc doctrinam de rebus naturalibus disputare. hic est enim disciplinarum ordo, & qui fuerit in doctrina rerum naturalium exercitatus, hic quæ pertinet ad metaphysicam disciplinam assequi poterit. At dictio quidem illa, auscultationes autem per consuetudines contingunt, ex ijs quæ memorauimus, est aperta. Potest ad hunc tamen modum explicari. Postquam dixit cognitionem & disciplinas ex præcognitis fieri, (nam quorū causæ cognosci nequeunt, ne ipsa quidem cognosci possunt,) ad confirmandum ex antecognitis cognitiones fieri, addidit illud, auscultationes pro consuetudinibus fieri, & sic doctrinam quenq; audire velle, vt fuerit assuetus, proxus vt auditores quæ dicuntur, pro suo quisq; more & præcognitione accipiant.

Finis secundi libri.